

nostram in deliciis, in mollitie, in mundanis cupiditatibus transigeremus? Saluator obit in Cruce supra montem posita, ut ab omnibus videretur, & ut omnes ad seipsum pertaheret; ne Fideles ullam haberent excusationem, quasi illum non viderent. Obit elatus, sperabat enim futurum, ut quoniam cuiuslibet generis hominum oculis patebat, Christiani, ac discipuli sui maiorem in numerum auerentur, ac fidelius, ardentiusque illi adhererent. Ardorem hunc erga Sanctam, unicamque Ecclesiam Fidelium quilibet habere debet, ut vere Deo fidelis existat. *Idem, ibidem.*

Si Christiana Religio in seipsa spectetur, nulla religio est alia, quae cum hac valeat comparari. Merces quam pollicetur, omnia excedit vota. Sanctitas praeceptorum illius aliarum religionum praeceptis longissime praestat. Dei amor, & proximi, inimicorum dilectio peculiare sunt characteres quibus distinguitur. Coniugii leges, atque temporarium bonorum usus ibi ordinantur. Denique omnia illius praecepta sunt legi naturae conformia. Iudaei pro veris cognoscere debuerunt miracula Filii Dei? neque enim dici possunt demonum ope facta, vel quorundam verborum adminiculo effecta; quandoquidem veri Dei cultum docebant. Quamvis JESU CHRISTI lex a Moisaica extrinsecus differat, non differt tamen intrinsecus. Messias advenit; neque alius dari potest Messias, quam Dei Filius. Omnes nativitates eius conditiones, omnes vitae circumstantiae, omnesque mortis ignominiae, quas Prophetarum vaticinia sunt, illi unice quadrant. Inter eos, qui se Messias iactabant, nullus societatem instituit, quae tandiu, quamdiu Christiana, subsisteret. Reliqui omnes a Christiana profecta sunt, earumque plurimam paulo post nativitatem suam perierunt. *Auctor Anonymus.*

Certissimum, ac magis perspicuum veritatis Religionis nostrae argumentum proculdubio sunt magna miracula in Evangelicarum veritatum confirmationem post Christianismi institutionem patrata; puritas extrema, quam Christiana Religio requirit; horror, quo mendacium, & minutas quascunque noxas persequitur; scientia, sapientia, sanctitas & meritum illorum, qui eam praedicant, & qui beatos se dixerunt, eo quod pro illa tuenda mortem appeterent; inconcussa illius firmitudo, quae post tot saecula viget adhuc, quamvis illam Tyranni labefactare omni ratione conati sunt, quamvis eidem mundus, caro, & demon, quorum placita proflus evertit, repugnaverint; haec prolesio sunt certissima argumenta veritatis fidei nostrae; & si omnino necesse est, ut aliqua inter homines adsit religio, quae debitum vero Deo cultum adhibeat; non alia profecto esse potest praeter eam, quam profitemur; sola enim est, ubi occurrit, quicquid convenit Religioni a Deo constitutae, & legi dignae Deo, ac legislatore, qui maximus sit, atque sanctissimus. Post tot, tantaque veritatis Religionis Christianae argumenta, esse ne potest aliquis adeo a recto sensu alienus, qui dubitet, quo minus Christiana Religio non certissima tantum sit; sed sola in qua vere Deo debitus honor valeat adhiberi? *Ex Alectici Operibus Blesii, & a Ponte.*

Metuendi locus non est, ut Christianis accidat, quod Judaeis, videlicet, ut Christiana Religio, & Ecclesia pereat, ut Synagoga. Hoc tamen non prohibet quominus aliquando videamus Dei regnum translatum, ut ita dicam de regione in aliam, & populos integros fidei iacturam pati; quia proculdubio eadem, non ut opus erat, utebantur; & quin fidem suam per operatona monstrarent, non solum illam operibus non probabant, verum omnibus flagitiis sese ingurgitabant, & desiderii sui cordis obsequerantur. Si melius cognosceremus felicitatem, quae est, in Christiana Religione ortum, ac vitam ducere, majorem profecto gratiam haberemus Deo, ac omnem operam impenderemus, ut inde fructum aliquem possemus percipere. Hinc ut plurimum nostra pendet salus; & multi haeretici sunt, qui ideo sunt haeretici quia nati sunt, vel quia in vivunt in terris, unde Christiana Religio exulavit. Quod integris nationibus accidit, hoc facile privatis accidere potest, qui nulla facientes opera, ex quibus dignosci queant velut Christiani, tandem ita derelinquunt a Deo, ut omnem amittant fidem, atque pietatem. Intelligamus ergo qua nos gratia donavit Deus, qui in

Christicolarum terris nos voluit oriri. Efficiamus, ut haec gratia fructum afferat ostendendo bonis operibus fidei nostrae qualitate; ne aliquando audienda sint nobis illa terribilia Salvatoris verba, cum ad iudicandum venerit: *Amendico vobis, nescio vos. Tournus in Anno Christiano Tomo secundo.*

Quidquid in Ecclesia Christiana factum est per Apostolos, qui fidem plantaverunt: per SS. Martyres, qui illam sanguine suo signaverunt; per SS. Doctores, qui illam sustinuerunt; per Cœnobitas, qui poenitentiam honoraverunt: quidquid in praesentiarum fit ad illius eruditionem, & adificationem, bonum est commune, & argumentum sanctae laetitiae omnibus illam constituentibus; quoniam quo plus sanctitatis, virtutis, luminis, bonorum exemplorum in Christiana Religione invenitur, eo plura habentur ad salutem subsidia, & adminicula. Laetitia haec hominibus suadet, ut iugiter Deo gratias agant; charitas enim, quae illius principium est, efficit haec omnia bona omnium propria; quoniam omnia Christianorum corda unum tantummodo cor efficiunt. Sancti, qui in hac Religione vivunt, & qui Deum in Cœlo videbunt, sexcentis illum gratiarum actionibus cumulabunt ob ea, quae ille pro Ecclesia generavit, & pro ipsis peculiariter operatus est: Hoc erit æternum eorum grati animi argumentum, quod effecit, ut in Ecclesia Catholica signa nascerentur, & in eadem perseverarent, extra quam nulla spes datur ad æternam beatitudinem perveniendi. *Idem.*

Cum de Religione agitur; duo nobis evitandi sunt scopuli ambo aequè timendi; quorum alter est, nimis sollicitè ad examen revocare, alter vero numquam considerare miracula. Christianum esse, quia natus es ex Christianis parentibus, qualis esses Turca, si ex Turcis originem hausisses; haec esset potius pertinax supilitas quam submissa fides; non secus ac ratiocinari, ac incessanter Religionis articulos ruminare, minus est illustrata fides, quam periculosa curiositas. Nam quaecumque mentis submissio datur in fide, hanc non exquiret Deus, nisi eadem Religio hoc ipsum sua auctoritate probaret. Fides iugum est, quod intellectum confirmat, fed atque hinc illi se sublevari, sciendum est, illud a Deo nobis imponi. Tunc hilariter, non ægre obtemperandum est; nihil enim tam rationi conforme est, quam credere quod dicit Deus, quem non aliter quam certissimum veritatis assertorem nobis fingere possumus. Hinc quoscumque Dominus locutus est, oraculis suis exteriora addidit signa, quibus probantur. Adam de Paradiso terrestri eiecit; & sacrificium Abel Sacrificium Cain prelatum; familia Noe universali cataclysmo subduca; familia Loth in Sodomorum conflagratione servata; frequentes Dei Apparationes Patriarchis; prodigia, quibus Moyses, Prophetarumque miliones comprobavit: innumera illa miraculorum copia, quae in Iudæorum gratiam operatus est: Omnia haec prodigia cum illis, quae per Apostolos, primoque fideles patravit, certissima sunt Religionis, quam profitemur, argumenta. *Ex Specimine Orationum Panegyricarum. Tomo 1.*

S. Paulus nascentem Ecclesiam fuerat persecutus; nihil inausum, intentatumque reliquerat, ut illam in ipsis incunabulis suffocaret, ne Gentes Evangelii lumen acciperent. Tamen Dei Filius elegit illum, ut eisdem opera in Mundo Christianam Religionem constitueret, nominisque sui gloriam in extremas terrarum plagas effunderet, luoque imperio omnes infideles nationes subiceret. S. Paulus infidelitatem suam purgare non poterat, quoniam ipse illam evulgavit, & dubitans de veritate mysterii, quod fidei nostrae fundamentum est, ( *Si Christus non resurrexerit, vana est fides nostra* ) suam cum nostra salute in discrimen adduxerat; quomodo enim ipsi potuissent nobiscum de Salvatoris Resurrectione persuadere, nisi aliquis ex discipulorum numero illam impugnasset? Et quomodo ipsi fideles fuisset, si Sanctus Thomas in incredulitate sua permanisset? His tamen viris, qui Christianae Religionis institutioni adeo videbantur oppositi, utitur Dei Filius, ut illius certitudinem probet; & ut sine certissima argumenta, ac testes irreprensibiles veritatum omnium, quae docentur ab illa. *P. Senault Oratorii Presbyter. Tomo 1. de Panegyricis Sanctorum.*

Omnia Sanctorum in Ecclesia Christiana viventium merita bona sunt omnibus fidelibus communia.

Quinam in materia Religionis evitandi sunt scopuli.

Inclusa bile veritatis Religionis Christianae argumetum est, quod qui maxime fuerunt increduli luminibus illius eade non potuerunt.

# COMMUNIO.

Preparatio ad Communionem, Bona, & Mala Communionis, Frequens, &c.

## MONITUM.

**H**OC in loco de Eucharistica Sacramento verba facimus tantum, quatenus recipitur a Fidelibus, quae proprie Communioni vocatur, & in Tomo de Myseris Filii Dei rejiciamus quicquid de hujus Sacramenti institutione, ac praesentia, de reali corporis, Sanguinisque Domini praesentia, de amore, quomodo nobis in illo testatur Deus, deque tanti muneris magnitudine cogitamus. Hoc mihi faciendum credidi in argumento tam late patenti, & quod pluribus conciliis materia potest suppeditare. Itaque hic ea tantum afferimus, quae nos ad Dei Filium digne recipiendum possunt inflammare: quae preparatio sine necessitate, sine officii adhibenda sit; qui defectus evitandi: quos sensus in nobismetipsis excitare debeamus diffusum thesaurum hunc possidentes; injuria, quae Deo pro amore nostro immolato ab indignis accedentibus infertur; frequens Communionis usus, & fructus inde percipiendus: verbo, quicquid conferre potest ad vite, sanctaeque Communionem recipiendam.

Illud vero notandum est illis, qui hac nostra collectione usuri sunt, tot inter auctores, qui de hoc argumento verba fecere, quilibet pro modulo suo, & juxta eam, quam Theologiae partem proficiuntur, Theologi, Casuisti, Controversistae, Catechistae, Alectici, & Concionatores, notiores tantum a me fuisse delictos, atque inde haustum quicquid suggestui accommodatus visum est, quin ad magis pecuniaria, vel ad proximi bonae communionis descendendum, quae arbitraria omnino sunt, & tam varia, quot sunt capita communitantur.

Qui Otiosus in hoc argumentum elaborans, in collectione hac satis materiae moralis ad eas concinnatas reperit, donec in lucem prodant reliqua, quae de hoc Augusto, atque adorabili Myserio collegimus.

## PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus argumenti Structura.

**I.** Tres considerationes plurimum nobis prodeste possunt, ut cum utilitate summa communionem faciamus, eaque simul nos doceat, quid accedentibus nobis ad Sanctissimum Eucharistiam faciendum sit.

1. Recipimus Deum Sanctum, qui eadem Sanctitas est; accedendum ergo cum conscientia pura, & ab omni peccati macula immuni. Haec est dispositio absolute necessaria; ubi fufius persequi possumus rationes illas, quibus ad id uti debemus; videlicet omnium actionum nostrarum strictum examen, exactissimam omnium peccatorum nostrorum confessionem, sincerum dolorem ob laeam Dei Majestatem, cum certo, constantique consilio relinquendi peccatum, & affectum ejusdem.

2. Divina, & infinita Majestas ad nos, & in nos venire dignatur; igitur est cum humilitate & altissima observantia sensibus recipienda juxta Evangelici Centurionis Exemplum, cujus verba Ecclesia retinuit: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum*: &c. Matth. 18. Motiva, quae hos sensus excitare possunt, desumenda sunt ex magnitudine illius, qui se nobis tradit, atque ex humilitate, atque indignitate nostra, quae nos æternum ab hoc Sacramento debet arcere; nisi Deus ipse hoc nobis preciperet, ut accedamus, alioquin illius indignationem subituri, nullamque habituri partem in Regno ipsius, quemadmodum Sancto Petro minitatus est.

3. In Communionem recipimus Deum liberalem, qui venit ad nos bonis suis cumulandos, nobisque large, effusaque conferendas opes omnes, prout nos earum capaces conveniet; oportet igitur, ut dignes gratiarum actiones, & grati animi sensus afferamus; ut vicissim illi offeramus, & largiamur, quod ex nobis ipsius magis expetere novimus, cor nostrum, amorem, virtutum, affectuumque virtutum; praesertim vero cum ille praesto sit, ut in nos omnia sua conferat dona, praetermittendum non est, quominus ab eo petamus, quod ipse nobis magis esse necessarium cognoverit, eo quod magis profuturum est, ut perfecti, & oculis illius cari evadamus.

De ea dispositione, quae ad recipiendum adorabile Filii Dei corpus est afferenda.

1. Cibis est, ideoque qui eo vesci debet, vivat oportet; cibis enim in ore mortui & corrumpitur, & corrumpit. Oportet igitur vivere vita gratia, praecipuum explicitum est, terribileque nobis inveniatur minae, si in mortis statu angelico paritudo Bib. Tom. I.

ne vescamur. Hoc vivorum quidem, non mortuorum est Sacramentum.

2. Esurire debet qui divinam hanc escam sumpturus est; hoc est ardentissimo illius desiderio, si inde percipere vult utilitatem: testatur debet cupiditatem recipendi Filium Dei, illi parem, quae se ille nobis communicare concupiscit: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare roscum*. Luc. 22.

3. Sæpius coelestis hic, divinusque cibus sumendus est ad animarum nostrarum vitam alendam, quemadmodum ad corporis vitam tuendam materiali saepe vescimur esca.

Ipse Dei Filii Corpori suo in divino hoc Sacramento nomen panis impositum ad innuendos duos præcipuos effectus, quos parit in animabus nostris suis similes, quos panis materialis, atque vulgaris gignit in corporibus nostris.

Primus est vitam tueri; ideoque vocatur panis vite & panis virtutis. Joann. 6. Auger, atque conservat vitam gratiae, eamque etiam quibusdam in casibus elargitur; ac tandem jus ad æternam vitam impertit.

Alter est, nos corroborare, & confirmare, ideoque in Scripturis vocatur, robor panis, panis confortans. Coelestis hic panis animam in infirmitatibus, & languoribus ejus confirmat, eique vim tribuit, omnibus inimicis suis, mundo, carni, ac demoni resistendi. *Desumptum ex libro qui inscribitur Effatus dei Sermons pour le Carême. Tome premier.*

De qualitatibus ejus, quem in Communione recipimus.

1. Illum recipere debemus tanquam Mediatorem, ac Salvatorem nostrum; quaeque via preparanda sunt.

2. Tanquam Medicum, a quo sanandi sumus, eique nostrae ægritudinis sunt detegenda.

3. Tanquam Judicem, qui delinendus est, &c.

De preparatione, qua accedendum est, ut digne communicemus; ostendi primum rationes possunt, quibus ad id adigimur; secundo quam particularem preparationem hac esse debet.

Quoad primum: ratio potissime est illius dignitate desumitur, qui venit ad nos: non enim solum est Princeps terræ, sed supremus terræ, Cœlique Dominus; ubi ostendendum, Deum se numquam hominibus communicasse, quin tantquam necessariam conditionem petierit, ut homines sese ad illum recipiendum prepararent, quem admoo-



admodum in Incarnatione, Alter modus est, quo se nobis dat in cibum, ut cum nobis artissima conjunctio unum, & idem efficiat. Aliqua ergo inter duos hos terminos Deum, & hominem statuenda relatio est, quod non nisi per sanctitatem fieri potest. Tertia est finis, propter quem venit ad nos, videlicet ut per se, nobis sua dona, & gratias communicet. At Deus numquam hominibus extraordinarias gratias impertit, quin voluerit illos, ut sese quantum in ipsis est, ad eas digne excipiendas disponeret; multo magis hoc præstari vult a divinum hoc Sacramentum fumentibus, quod donorum omnium ab ipso mortalibus collatorum est maximum.

Quoad alterum; optima dispositio, qua ad illud recipiendum accedere possumus, est imitari eum modum, quo se nobis tradit. Ad id autem intelligendum vide, quid ipse fecerit in Coenaculo Sacramentum istud institutus. Sed hæc dispositio ad duo possimum capita redigi possunt. Primum ad immunitatem ab omni lethali macula, quam pedem ablutio representat: Peccata Sacro Penitentia lavacro sunt abstergenda. Alterum officii est, atque consistit in actibus, atque praxi virtutum, quas exercere possumus, antequam ad hoc Mysterium accedamus: scilicet ardentis desiderii illius recipiendi, altissima humilitatis, confidentie, amoris &c. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiane argumenta. Sermones secundo Oratione Sanctissimi Sacramenti.*

VI. Idea bonæ Communione in eo modo, quo Salvatoris Discipuli eum Ierosolymam ingredientiem receperunt paucis diebus ante passionem ejusdem.

2. Idea Communione indignæ, & sacrilegæ in eo modo, quo illum Pharisei receperunt. *Hoc est argumentum P. Bourdaloue in Sermones pro Dominica Palmatarum.*

VII. De acceptione, qua Dei Filius in nobis est recipiendus.

Punctum primum. Quanam in re hæc acceptio consistat; eadem præterpropter ratione, qua amicum nobis unice carum, & qui gravissimos labores perpeffus est, ut nos invileret, recipere; 1. illi testanda lætitia est, quæ ex illius aspectu, adventuque perfunditur; sed plerique fideliū quam frigide Dei Filium recipiunt? 2. summo affectu illud debemus amplecti, qui in hoc mysterio sese nobis inteme conjungit, & postquam ad examen revocaverimus artissimam unionem, quam cum nobis contrahit Filius Dei? opus est ut cum illo per ardentissimam charitatem conjungamur; 3. ex animo ea præstantia sunt, quæ amicis officii gratia præstamus; nosmetipsos & quidquid nobis est illi offerre debemus; & ut verbo omnia complectar, quemadmodum ille se nobis tradit, ita nosmet ipsi omnino tradamus oportet.

Punctum alterum. Bona, quæ ex hac acceptione cedent nobis, si rite uti noverimus felicitibus præsentia divinx momentis; 1. admirabiles fieri possunt progressus in illius familiaritate huic Cœli, terræque Principi interveniendo; 2. hoc aptissimum tempus est gratias, & beneficia obtinendi; 3. tunc maxime temporis magis particulariter uti iterque salutis nostræ negotio vacare possumus &c. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiane argumenta. Sermones tertio Oratione.*

VIII. De fructu ex Communione percipiendo. 1. Antidotum est pro penitentibus, qui de peccato consurgunt, ac ne illuc recidant, conantur.

2. Cibum est iustus, efficitque, ut virtute crescant, eoque magis fortes, atque robustos reddat.

3. Exquisitissimum convivium est perfectis, ibique inexplicabili charitate fruuntur. *Essais de Sermones Tomo 2.*

IX. Quid in bona Sanctaque Communione Dei Filius conferat nobis.

1. Conferat nobis cor suum nostris conjungendum non sine aperitissimis benevolentia suæ signis.

2. Conferat spiritum suum, ut secum in perfectam sensum, studiorumque conformitatem ingrediamur.

3. Conferat corpus suum nobis in cibum, quoadmodum cum nostris incorporandum. *Auctor Sermonum Christianorum, Sermones quarto in Oratione.*

X. De fructu ex Communione hauriendo. Referri

possunt fructus omnes, ex Communione recipiendi ad unum tantummodo, ad quem ceteri quoque redigi possunt, videlicet ad sanctitatem; quandoquidem finis, quem sibi proposuit Dei Filius, seipsum nobis in hoc Sacramento communicans, hic fuit, ut videlicet nos sanctificaret. Hæc autem sanctitas consistit.

1. In animæ puritate, uti docet S. Thomas, hoc est in horrore peccati, omnique terrena affectio-nis, ad quem nos hoc Sacramentum inducit, & quem Fidelis per illud acquirere potest.

2. In firma, constantique unione cum Deo, hoc est in fideli ejusdem famulatu, atque voluntatum ejusdem obedientia. Per bonum Eucharistia usum status hic potest acquiri. *Auctor Sermonum in omnia argumenta Oratione. Sermones 5. Oratione.*

In Evangelium Oratione S. Sacramenti; *Homo qui fecit cenam magnam &c.*

Punctum primum. Coena hæc vere magna est; 1. propter eum, qui hanc præparavit & qui ad eandem invitat: 2. propter convivarum multitudinem, *vocavit multos. Luc. 14. 3.* Propter epulas, quæ afferuntur, Corpus videlicet, & Sanguinem Domini.

Punctum alterum. Eorum infelicitas, qui sese exculant, ne eidem intersint: *Amen dico vobis, nemo virorum illorum gustabit cenam meam. Essais de Sermones Tomo 4.*

Tria sunt hominum genera, qui non recipiunt gratias, & benedictiones, quas in Eucharistia convivio nobis destinat Deus.

Primi ii sunt, qui raro ad illud accedunt, ac semetipsos privant iis fructibus, quos ex frequentioribus Communione recipere possent.

Secundi sunt illi, qui accedunt quidem, sed sine veste nuptiali, hoc est non in statu gratiæ, qui tantum abest, quod gratias obtineant, ut immo ibi suam damnationem inveniant.

Postremi tandem ii, qui frigide accedunt, atque servant affectum erga venialium peccatorum habitum & in materia, cui periculum adiacet. *La Font in Dominica.*

In duobus Sermonibus punctis considerari potest. Primo. Summa Filii Dei Charitas omnes ad magnum hoc convivium invitans.

Secundo. Noxia eorum incuria, qui eidem interesse, vel reuuant, vel contempnunt. *Joly, Propositionum Tomo 3.*

De frequenti Communione. Rationes, quas falso prætextimus, ut ab ea recedamus.

1. Prætextus omnes pietatis, & reverentiam erga divinum hoc Sacramentum, quæ re ipsa vera est pietatis, & devotionis carentia.

2. Majorem præparationem, quæ re ipsa vera est licentia.

3. Negotia, ac necessarias occupationes, quæ vere non ferenda est propriæ salutis negligentia.

Duo hominum genera a Communione recedunt ob duplicem abutim, qui in duplici concisionis parte confutari potest.

Primi sunt peccatores, qui se indignos existimant, sed quin consentunt, ut se dignos ad accedendum præbeant, inde recedunt, ut in suis sceleribus perseverent, & ne a pravis habitibus suis recedere teneantur.

Alteri sunt, qui inde abstinent, quia meliores non evadunt, iisque ostendendum est, unicam rationem evadendi, esse crebro cum necessaria præparatione ad hoc Sacramentum accedere; quemadmodum e contra in deterius labitur, qui ab illo recedit, vel nimis diu accedere differt.

Quidquid magis utile dici potest in hoc de frequentis Communione argumento duplici hac propositione potest comprehendere: 1. veram pietatem nos hortari, ut crebro communicemus; 2. frequentis communione pietatem veram ali, & confirmari.

1. Quamvis corripit nequeat, qui quandoque ab altari abstinere, ut ait Sanctus Augustinus, attamen huic reverentiæ anteponez sunt charitas, & confidentia; quæ res extra omnem dubitationem posita videtur, quoniam vera pietas non hortatur, ut crebro communicemus. Et sane vera pietas citra tria potest considerari, quæ Fideles ad bonas actiones impellant: 1. citra spiritum penitentia; non enim Dei Filius aliter etiam nunc operatur erga peccatores, ac olim, cum in terris vivebat: tunc autem penitentes peccatores vocabat, cum illis verlabatur, & tantum aberat, quod illos abiceret, ut immo cum illis menz acumbere &c. 2. religio-

XI.

XII.

XIII.

XIV.

XV.

XVI.

gionis etiam spiritus suadet, ut frequenter communicemus, ita enim Deo honor deferatur; & reverentia in hoc posita est, ut digne communicet: 3. charitatis, diviniq; amoris Spiritus ad id etiam impellit; hic enim amor ad artissimam unionem contendit.

2. Ad veram pietatem confirmandam tria requiruntur, 1. obligatio, quæ ad illam nos cogat.

2. Finis. 3. Medium; quæ tria in frequenti Communione usu inveniuntur.

XVII. Rationes, quæ nos ad crebro communicandum impellere debent.

1. Crebro communicare debemus, quia ipse Dei Filius invitatur: & hanc illius mentem fuisse dicere possumus, corpus suum in cibum hominibus tradentis.

2. Crebro communicare debemus, quia ad id nos hortatur Ecclesia: satis liquet quam fuerit priorum Fidelium consuetudo, & quid hac in re in Tridentina Synodo Ecclesia docuerit.

3. Crebro communicare debemus, quia necessitas, atque utilitas nostra suadet, *P. Nepveu in Considerationibus Tomo 2.*

XVIII. His duobus suppositis, quæ invicem separari non possunt sepe, ac digne communicandum esse; duas has afferre possumus propositiones pro Concisionis argumento, & partitione.

1. Præcipuum indignarum Communione causam earum esse infrequentiam; quia peccatorum habitum invalescere patiuntur; 2. quia palam hac ratione offendimus, vitam immutare nos minime velles; 3. quia periculum est, ne satis serio examine nosmetipsos excutiamus, ac proinde malam confessionem efficiamus, quæ sacrilegam Communione efficiet.

2. Facillimum esse, crebro communicantem digne communicare; 1. etenim sepe communicans se magis, magisque coniungit Deo; 2. quia ut nosmet ad communicandum disponamus, bonos actus elicimus; 3. quia altera, quidem communio alterius dispositio est; 4. quia favores recipimus ad gratiam tuendam, novaque merita acquirenda, quæ nos efficient digniores, qui ad sacrum hoc convivium accedamus.

XIX. Pro Concisionis argumento assumi potest confutatio trium causarum, quas nonnulli prætextere solent, ut a frequenti abstineant communione.

1. Dignus non sum, qui ad Sanctum Sanctorum accedam. Non oportet illud, hunc prætextum explodere; inde enim sequeretur, nunquam communicandum fore; quandomam enim dignus eris? &c.

2. Frequentium Communione in pluribus abusus; qui etiam si abusus esset, hæc tamen rationabilis esset causa, seipsum aliquo bono privare, quia plures eodem abutuntur?

3. Nullum majus præ duobus ceteris habet fundamentum, hoc est, hanc esse consuetudinem nuperissime inventam, & a Patribus nostris ignoratam, qui tamen æque ac nos boni erant. Facile hæc excusatio inanis eluditur, ostenditurque prorsus oppositum.

XX. Hæc ipsa de frequenti Communione materia in duo puncta dividi potest.

1. Sepe, ac digne communicare praxis est sanctissima, & consilium utilissimum.

2. Prætextus omnes, qui vulgo afferuntur, ut ab altari abstinatur, inanes sunt, ineptique.

Prima partis rationes ex cibi effectibus desumuntur qui sunt: 1. vitam tueri; 2. vim, virtutemque afferre; 3. sese in substantiam nostram immutando efficere, ut crescamus; quæ tria transferri possunt ad celestem Eucharistia cibum; atque inde inferri, sepe igitur esse sumendum.

Patris alterius est singillatim eos refellere prætextus, qui satis notii sunt, & quos jam memoravimus. *Hoc Systema est Auctoris Sermonum in omnia Ethica Christiane argumenta. Sermones pro secunda post Pentecosten Dominica.*

XXI. Duobus punctis ostendi potest.

1. Pietatem, ac devotionem inexistit frequentis Communione consuetudinem.

2. Vivendi licentiam, ac devotionis tempore frequentis Communione consuetudinem abrogat. *Desumptum ex Sermones P. Stephani Chamillari.*

XXII. De Sacrilegis Communione. Ostendi possunt iniquitates abyssii, quæ noxie trahunt Communiones.

1. Satis est, aliquem hunc vitæ panem indigne frangere, ut sensim in infidelitatem ruat.

2. Huic verendum est, ne statim impudicus evadat: triplici verbo, fidei iacturam facere, impietatem non perhorrescere, omnibus libidinum impudicitis sese mancipare, tres sunt fere inevitabiles præve Communione effectus. *Idem in Concione hujus argumenti.*

Divinum hoc Sacramentum, quod vulgo Sacramentum vitæ vocatur, plurimis fit mortis Sacramentum.

1. Sacramentum mortis Filio Dei, cui intra se mors inferatur.

2. Sacramentum mortis nobismetipsis. *Auctor Sermonum in omnia Ethica Christiane argumenta.*

Aliud Systema Concisionis de præve, & Sacrilega Communione.

Punctum 1. Magnitudo, & enormitas sceleris hujus, quod continet, 1. maximam ingratitudinem, 2. horribilem perfidiam; 3. sacrilegam rei omnium sanctissimæ pollutionem.

Punctum alterum. Communes horribilis hujus sceleris effectus: cecitas mentis, quæ efficit, ne videatur amplius evidens damnationis periculum, cui indigne communicans sese obicit, 2. cordis obduratio quod, teste Juda, nihil molliore potest. 3. Denique desperatio, & impoenitentia. Nam in morte quam haberi potest spes in Deo, qui proditus fuit, & cui crudeliter quam que olim a Judæis, mors fuerit illata?

In eodem præve Communione argumento ostendendum est; 1. Magnum peccatum esse; 2. hoc bonorum peccatum esse. 3. Hoc esse peccatum, quod sævissima ultione persequitur Deus.

Punctum primum hoc est Filio Dei contumeliam asserre in proprio ipsius corpore, & rem sanctissimam, sacratissimamque polluere. Videre quomodo velit Deus in cultu haberi Sancta, Templâ, Aras. Qui indigne communicat reus est Sanguinis, & mortis Domini.

Alterum. Hoc bonorum peccatum est, jac sepe eorum etiam, qui vehementius contra indignas Communiones declamant, ac de pluribus dici possent, quod olim Salvator de Juda: *Ecce hic intingit mecum manum in catino. Marc. 14. Ecce hic iniquus, corruptusque Juda. Ecce hic impurus, ac voluptatibus deditus, qui ex impudicitis suis emergere, & ab occasione recedere detrectat; hic mundi amator, hic hypocrita.*

Quod ad tertium pertinet, nihil facilius est, quam hoc probare gravissimum suppliciorum refectione, quibus Deus in hac, & in æterna vita, in animam, & in corpus animadvertit &c.

De sacrilega Communione.

Punctum primum. Quemadmodum nihil majorem Deo deserit honorem, quam sancta Communio, ita nihil majorem illi adfert contumeliam, quam communio nefaria, & sacrilega.

Punctum alterum. Nullum scelus est, quod contumeliosius læscat.

Tertium. Nullum scelus est, qui difficilius Deus veniam largiatur. *P. Nepveu Tomo 2. Considerationum.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoresque, unde verum copia desumi possit ad has concisionem struendas exornandas.

Sanctus Cyprianus *Serm. de lapsis* de indigne communicantium enormi scelere loquitur.

S. Augustinus *Epist. 118. ad Januarium* aperte ait, quod sentit de raris, crebrique communionebus, atque ad id scita adfert præcepta.

Idem, vel Auctor Sermonum ad Fratres in Eremito *Serm. 37.* ostendit quam puritate hoc Sacramentum recipi deceat exemplo Ethioicorum Æthiopicæ Sacerdotum.

Origenes *Homil. 13. in Levit.* loquitur de ea dispositione, qua Eucharistia recipienda est.

Idem *Homil. 35. in S. Matth.* de illis loquitur, qui prave sine eadem recipientur.

S. Basilus *Homil. 1. de Baptismo* in illos invehitur, qui in peccato Sacrum Salvatoris Corpus recipiunt, & ostendit, quibusnam cum dispositionibus sit recipiendum.

S. Hieronymus in Apologia pro Libris contra Jovinianum sententiam suam aperit circa consuetudinem.

XXIII.

XXIV.

XXV.

XXVI.



tudinem, quæ tunc Romæ vigeat quotidie communicandi.

Idem l. 2. in cap. 9. Zacharia hæc explicans verba; quid bonum ejus, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & de propriis divini hujus cibi effectibus verba facit.

S. Ambrosius in libro de Sacramentis, & præsertim libro 5. plurima, eaque præclara habet de dispositionibus ad hoc Sacramentum afferendis, de effectibus illius, & de frequenti Communione.

S. Gregorius l. 3. in cap. 6. primi Reg. in ea verba, percussit autem Dominus de viris Bethsamitibus, eo quod violenter arcam Domini, fufus agit de illis, qui sancta Myfteria, vel indigne, vel parum reverenter atrectant.

S. Bernardus Serm. de Cena Domini Sacramenti hujus effectus ostendit, & quomodo illi acceptam referre debeamus vitiorum, affectuumque nostrorum victoriam.

S. Chryostomus Tomo 5. Homil. 61. probat illum, qui communionem recipite detrectat, non mereri communibus Fidelium precibus interesse.

Idem Hom. 3. in Epist. ad Ephes. ostendit cum reverentia nobis ad hanc mensam accedendum, neque eidem interesse detrectandum.

Idem Homil. 13. in Epist. ad Hebr. docet quibus rariis, quibus frequentius sit communicandum.

Idem Homil. 7. in cap. 2. S. Matth. in peccato communicantes Herodi comparat, simulanti se peccare velle ad Messiam a Magis inventum adorandum.

Idem Homil. 45. in S. Joannem, ubi hunc vitam panem esse probavit, loquitur de effectibus, quos pignit, & virtute, quam nobis communicat &c.

Idem Homil. 24. in Primam S. Pauli ad Corinth. Epist. docet quam dispositione sit accedendum.

Idem Homil. 28. S. Pauli explicans verba, ostendit enormitatem sceleris eorum, qui indigne communicant; quod ipsum præstat Serm. 3. in Epist. S. Pauli ad Ephesios.

Idem Hom. 60. ad Populum Antiochenum, docet quam puritate ad augustissimum hoc Sacramentum sit nobis accedendum.

Idem Homil. 5. in prima ad Timotheum ostendit, ut digne ad hanc Mensam accedamus, minus respiciendam esse temporis diuturnitatem, quam minime communicavimus, quam nostræ conscientie statum.

Thomas a Kempis lib. 4. de Imitatione JESU CHRISTI.

Dionysius Carthusianus in Operibus Minoribus.

Tomo 2.

Ludovicus Granatensis.

Alphonfus Rodriguez part. 2. de Perfectione, Tractatu 7.

Ludovicus de Ponte. Tomo 1. de Perfectione, Tractatu 4.

S. Franciscus Salesius in Introductionem ad vitam devotam part. 2. c. 20. & 21.

Recupitus de signis Prædestinationis &c. signo decimo.

P. Novet in Meditationibus de vita JESU CHRISTI in Sangto Sacramento.

P. Nepven in Octava Sancti Sacramenti.

Idem in Christianis Considerationibus Tomo 2.

& 4.

Nicolaus Lancicius, Opusculo Spirituali 14. de Effectibus Eucharistie.

P. Antonius de S. Martino a Porta, in libro, cuius titulus la Conduite de la Grace, parte ultima, ubi ostendit, frequentem Communionem validam esse rationem ad finalem gratiam assequendam; & quem esse debeat frequenter huic Communioni preparatio.

P. Paulus de Barre in solitudine Philagie die decima.

P. Croiset Tomo 2. Spiritualium considerationum loquitur de dispositionibus necessariis ad quotidie communicandum.

P. Caussin in Aula Sancta lib. 3. sect. 12. loquitur de praxi Communionis.

Tridentinæ Synodi Catechismus, ubi loquitur de Eucharistia Sacramento.

Non deest infinita propemodum in omnibus linguis supplex Affectuorum, qui continent tractatus de ratione, & praxi bene communicandi. Eos requæo librum non ita pridem a R. P. Vaubert So-

cietatis JESU editum, cui titulus, Traité de la Communion, ou Conduite pour communier Saintement; ubi solide, simul ac utiliter tractatur, quidquid hac in re desiderari posse videtur.

Quin de veteribus loquamur, qui in Octavis, quas edidere, de Communionem Sermonem instituerunt non prætermiserunt; hi ferme sunt, apud quos inveniri possunt ea, quæ huic sæculo sapiant.

P. Castillon in Octava sua de sinibus JESU CHRISTI in hujus Eucharistia Sacramenti institutione, Sermonem habet de Communionem frequenti.

P. de la Rue Sermonem pro Dominica Palmarum.

Idem Sermonem ultimo octavæ suæ Eucharistia considerat veluti panem, & vaticum, quo in vita, & morte roboratur.

P. Delingendes Sermonem 2. Octavæ illius, quam latine scripsit, de Sacramenti hujus effectibus verba facit; unde infert, hoc esse Amoris Sacramentum.

Idem Sermonem 7. explicat unionem, quæ inter Corpus JESU CHRISTI, illudque recipientem adest.

Biroat in Octava sua, licet explicitè de Communionem verba non faciat, plurima tamen habet ad eam pertinentia.

Auctor Sermonum Christianorum Sermonem 3. Octavæ de bonis, prævisque Communionibus differit; & Sermonem 7. ostendit Eucharistiam thesaurum esse in eos, qui accedunt indigne.

P. Textier in Octava sua aliquot Sermones habet hujus argumenti.

Reina Auctor Italus latine reddidit Sermonem 35. Quadragesimæ loquitur de vita divina, quam nobis divinum hoc Sacramentum communicat, de quo pluribus aliis rebus ad Communionem spectantibus.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta pro argumento Octavæ Sanctissimi Sacramenti ea assumpsit, quæ nunc ad Communionem pertinent, scilicet præparationem, quæ attendenda est; modum, quo Dei Filius a nobis est excipiendus; frequentem Communionem, fructumque inde percipiendum, & Communionem sacrilegam &c.

Quicumque octavas ediderunt de Sanctissimo Sacramento aliquem habet hujus argumenti Sermonem, tamquam maxime moralis, atque perutilis.

Quicumque locos communes ediderunt, hoc argumentum non omiserunt; hi autem ferme fufus illud persecuti sunt.

Ludovicus Granatensis. Titul. Eucharistia in locis communibus.

Buseus in sex capitibus Viridarii sui ea omnia collegit, quæ de Communionem potuit invenire. Titulo Eucharistia.

Labatha præ aliis etiam fufus hoc argumentum tractat. Tit. Eucharistia.

Raynerius de Pisis. Tit. Eucharistia.

Drexellius in Repts Select. part. 2. c. 2.

Lohner. Tit. Eucharistia.

PARAGRAPHUS III.

Lex, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Panis cor hominis confirmet. Pl. 103. Calix meus inebrians quam præclarus est! Pl. 22.

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Pl. 115.

Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum sæculi. Pl. 21.

Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 3. Reg. c. 19.

Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod misit vobis. Prov. 9.

Angelorum esca nutritiis populum tuum, & paratum panem de celo præstitisti illis, sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Sap. 16.

Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans vitæ gines? Zach. 9.

Qui colligat hæc hujus argumenti edidit.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Isaie 18.

Conquinabar in medio eorum. Ezech. 22.

Eccc ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Matth. 28.

Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joann. 6.

Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ibidem.

Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Joann. 6.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; & ego resuscitabo eum in novissimo die. Ibidem.

Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Ibidem.

Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Ibidem.

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 1. Ad Cor. c. 11.

Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Ibidem.

Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Ibidem.

Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non disjudicans Corpus Domini. Ibidem.

Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 1. Ad Corinth. 10.

Non potestis calicem Domini bibere, & calicem demoniorum: non potestis mensam Domini participare esse, & mensam demoniorum. Ibidem.

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter me. Joann. 6.

Erant perseverantes in communicatione fractionis panis. Ad 2.

Irram qui faciens legem Moysi, sine ulla miseratione moritur: quanto putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei concubaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit? Ad Hebr. 10.

Naveat anima nostra super cibo isto levissimo, Num. 21.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Luc. 11.

Auribus cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Pl. 101.

Exempla, vel Figura Veteris Testamenti.

Manna figura Eucharistie.

Nemo unus ignorat, Mannam ex præcipuis Eucharistia figuris fuisse: hoc ipse Dei Filius innuit, cum coelestem, vivumque panem, quem hominibus in nova lege traditurus est, præfert veteri huic pani Angelorum manu elaborato. Duarum harum coelestium epularum similitudo in eorum effectibus præsertim elucet, quoniam Manna quidem omne saporis genus, ut hodie Eucharistia panis, in se continet, illa quidem pro corpore, hic autem pro anima: verum hoc Salvator discriminis inter utrumque serculum statuit, quod Manna Israelitis a morte non tuebatur, cum Eucharistia hodie corporibus nostris conferat facultatem aliquando conflurgendi, & animabus nostris vivendi vita gratia, simul & glorie. Patres nostri manducaverunt manna, & mortui sunt; qui manducant hunc panem vivet in æternum. Joann. 6.

Atca veteris Testamenti ipsa quoque Sacramentum novæ legis præsignavit. Hæc arca erat populorum consolatio, eorum refugium, & virtus, cum ab hostibus urgebantur; hæc tamen Bethsamitarum cladem peperit, quorum ultra quinquaginta milia eorum intuitu fuissent. Quæ fuit morte percussus eodem temporis momento, quo manum est ausus extendere, ut eam labantem fulciret; sed Obededit, & Dominus eum benedictionibus, & prosperitatibus cumulavit illam remuneratus pietatem, ac religionem, quæ Sanctus hic Israelita illum receperat. Hæc ad nostram doctrinam dicta sunt: Si enim Deus tanta severitate in eos animadverit, qui figuræ omnem eam, quam debebant, reverentiam non præstiterunt, quam districte eos puniet, qui erga rem figuratam non præferent profundam

eam religionem, quam ab omnibus ad eam accedentibus exigit? Quid facere tenemur, ne in fœnestum nobiliter virus convertamus, quod traditur nobis tamquam malorum omnium antidotum, & medicina, & ne calamitose in ipso vitæ fonte mortem inveniamus?

Affueri convivium dimidiatum annum sine ulla intermissione permansit, & ait Scriptura hanc ipsam temporis circumstantiam maximam conciliasse admirationem Principis magnificentia in universa terra. JESU CHRISTI Convivium in Eucharistia non annuum integrum, sed usque ad sæculorum consummationem producentum est; Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quæcumque essent in Affueri convivio Magnificentia, & quæcumque in illis esset, quæ in terris fieri consueverunt, fatendum est tamen brevium eorum diuturnitate gaudium semper efficit imperfectum; id autem de Filii Dei convivio dicendum non est, quantum usque in sæculorum finem est duraturum. Si intra unius tantum diei spatium terminaretur, diceret fortasse quispiam, tempus jam abiisse, & ad illud reverti non amplius liceret; sed huius convivii tempus non præterit, quotidie rursus incipit, atque in nostra positum est potestare divina hæc erca saginatur.

Agnus Paschalis alia fuit divini hujus Sacramenti figura nequaquam ignobilior, quam prima. Satis compertum est, quibus cæremoniis primum immolaretur, & deinde cum azymis panibus commederetur, quod Eucharistiam prærepresentat, quatenus sacrificium, Sacramentum, & cibum; quæ in re hæc figura præstantior videtur, quam reliquæ; exhibet enim omnes eas rationes, quibus Eucharistia potest considerari.

Cum Deus se primum sub rubi ardentis imagine prodierit, Moyses admiratione, & stupore hujus spectaculi percutus, & stupore hujus mira accedens, ut distinctus miraculum intueret; sed vox illius auribus accidit dicens: Solvo calcamentum pedum tuorum; locus in quo stas terra Sancta est. Voluit Deus illico temerarium, ac præcipitem mortu compescere, quo Moyses rubum versus ferretur; cum enim de illius agitur conspectu, homo nunquam satis sibi cavere potest, neque satis modestè se gerere; præcepit autem, ut solveret calcamenta de pedibus suis, quia sub corpore hujus actionis figura, interiori sanctificationem voluit innuere: hoc enim idem fuit ac præcipere, ut quiddam humile, ac terrenum erat, exueret, atque ab antiquis sordibus sese exiaret; quod nos docet quanta cum puritate accedere debeamus ad Eucharistiam ubi Dei Filius præfens est longe diversa ratione ac in rubo, ubi ostendit se Moysi; quia illius corpus, & sanguis hic vere, ac realiter adsunt, uti etiam per concomitantiam illius persona, & divinitas. Inde iudicare est, quam necessarium sit illum cum totius animæ nostræ collectione, omniumque cogitationum nostrarum supra terrena quælibet elevatione recipere; serio nosmetipsos excutiendo, ut dignoscamus, utrum indigni simus, qui ad divinam hanc mensam accedamus.

Meminerimus, quid Elia Propheta acciderit. Panis, quem fugiebat ille persecutiones crudelissimæ Jezabel, comedere & postquam in horrida solitudine errasset nullo recreatus cibo, fessus itinere, viribus exhaustus, & humi discubuit modicam requiem capturus. Nonne hæc naturalis est imago status illius, in quo plurimi Fideles quotidie versantur? Vix ille somno captus fuit, cum Angelus excitavit illum clamans; surge, & comede. Dicitur parit, & cum vix subcineritium panem gustasset, quem prope caput suum nactus est, confirmatus fuerunt vires illius, & haud agere usque ad Montem Oreb ambulavit. Hoc ipsum dici potest infirmis, languentibusque animabus. Surgite, accipite, & comedite coelestem hunc Eucharistia panem, ejus nonnisi figura erat Elia panis, & roboramini. Per hujus vini in virtutis viam incedetis; vosmet evehitis ad sublimiorem perfectionem, quæ per montem illum exhibetur, cuius nomen Dei visionem significat. Verum est, Prophetam, ubi primum ex hoc pane comedit, iterum viribus defecisse, sed præcepit Angelus, ut rursus vesceretur: ut nos inde intelligamus, si una communione cor nostrum non omnino inflammetur, eam nobis esse iterandam, donec primus fervor iterum fuerit incensus.

In Levitico videmus, si quis immundus per audaciam in partem accedere voluisset victimarum, quædam, quæ

Affueri convivium.

Agnus Paschalis.

Rubi ardentis figura modicum exhibit, quod Eucharistia Sacramentum dicitur.

Figura quædam.



que ostendat, qui puritate ad hoc Sacramentum fit accedendum.

Exempla, & Parabola Novi Testamenti.

UT caelesti huic convivio interesse possimus, atque ut digne communicemus, in gratia, & charitate simus oportet.

Hoc Salvator ipse nos docet, ubi sub parabola Patrifamilias ad convivium invitantis agros, cecos, & claudos, ad Sanctissimam hanc mensam eos etiam accessit.

Judas interlicissimus terribile proponitur exemplum indigni communicantis: & post bucellam introitus in eum Satanas.

APPLICATIONES.

DEMON nobiscum alia prorsus insidit via ab illa, qua primos Parentes nostros aggressus est cum felicissimo eventu.

Tentavit etiam Demon parentes nostros illis dicentis, ex hoc fructu comedentes eritis sicut Dii.

Parabola illius, qui ad convivium accessit sine veste nuptiali.

Indigne communicantium pro, lude de exemplo.

Hoc illi crediderunt, quamvis Deus minitatus fuisset futurum, ut eo ipso, quo comederent, momento morerentur.

Exi a me, quia homo peccator sum. Luc. 5. Hac dixit S. Petrus Apollolus, cum importuna humilitate a se removeret conabatur honorem, quem illi Magister suus collaturus erat pedes illius ablundo.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. Joan. 6. Ex his verbis inferendum est, panem hunc, & hunc potum longe aliter cum nostra conjungi substantia, quam vulgaria alimenta.

Abduc esca erat in ore ipsorum, & in ea descendit super eos. De indigno communicantis dicit potest, quod Regius Propheta de Israelitis ait, in cum Manz, quam Deus illis tradiderat, ut in deserto alerentur, perazzi alias proquerant, conculas, & illas, quas in Aegypto reliquerant, cum piverunt; videlicet iram Dei in eos exarisse, cum adhuc in ore ipsorum versarentur dapes, que diadadum ipsis depluerant.

Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus vere est potus. Joan. 6. S. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis c. 4. duplicis meminit transformationis in hoc adorabili mysterio, & asserit etiam alteram adorationem esse probationem.

En tibi locos aliquot Scripturæ, qui felici eventu ad hoc argumentum possunt transferri.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum loci, atque Sententia hujus argumenti.

DUM caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, de Deo anima saginatur. Tertull. de Resurrect. carn., c. 8.

Hunc panem dari quotidie postulamus, ne dum abscites, & non communicantes a caelesti Pane prohibemur.

mur, a Christi Corpore separemur. Cyprian. de Oratione Dominica.

Timendum est & orandum, ne, dum quis abstinenti separatur a Christi Corpore, procul remaneat a salute; comminante ipso, & dicente, Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Idem ibid.

Mens deficiat quam recepta Eucharistia non erigit. Idem, Epist. 30.

Quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes nudoque relinquinimus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi munimus. Idem, Epist. 45. ad Cornel.

Eucharistia fidelem a se alienat, & ex terreno facit caelestem. Idem, l. 2. Epist. Epist. 3. ad Coccil.

Qui sumit Eucharistiam indigne, reus est carnis Dominice, ac si Dominum occidisset, & Sanguinem ejus fuisset. Idem, Tract. de Lapsis.

Quomodo morietur qui cibus vita est? Ambros. Serm. 18. in Pl. 118.

Ille panis vite æternæ, qui animam nostram sulcit. Idem, in Pl. 118.

Christus mihi cibus, Christus mihi potus: non jam ad latetatem mei annuo expecto preventus; Christus mihi quotidie ministratur. Idem, ibid.

Vrosificat Corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione perducit. Cyrill. Alex. l. 3. in Joann. c. 37.

Christus in hoc Sacramento servientem membrorum legem sedat, bos fides redintegrat, perturbationes animi extinguit. Idem, lib. 4. in Joan. cap. 17.

Quemadmodum si quis igne liquefactam ceram alteri coram similiter liquefacte ita miserit, ut unam quid ex utriusque factum videatur, sic communicatione Corporis, & Sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Idem, l. 20. c. 23.

Communicare per singulos dies, & participare de sacro Corpore & Sanguine Christi, pulchrum est & valde utile, ipso manifeste dicente: qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Basil. ad Cæsariam Patritiam.

Quid est proprium eorum qui manducant panem & bibunt poculum Dei? Ut iam non sibi vivanti, sed ei qui pro ipsis mortuus est. Idem.

Conventus frangenti panem unum, qui pharmacum immortalitatis est, antidotum ne moriamur, sed vivamus semper in Jesu Christo. S. Ignatius Martyr, Epist. ad Ephes.

Dedi eis esum Corporis mei, ipse & cibus & convivia. Hier. in c. 11. Oleez.

Corpus nostrum consequitur immortalitatem, Corpus Christi immortalitati conjungitur. Greg. Nyis. orat. Catech. c. 37.

Delicia Communio. S. Dionys. l. de Eccl. Hierach. c. 2.

Æterna vite esca. Hilarius de Trinit. Puncti Christiani, sacramentum Corporis Christi nihil aliud quam vitam vocant. Aug. l. de pecc. merit. & remis. c. 24.

Corpore & Sanguine, quo quotidie in Ecclesia vescimur & potamur, participes unius summe charitatis efficiamur. Aug. ibid. c. 14.

Non quod videtur, sed quod creditur, pascit. Idem, contra Faustum.

Ille non aude honorando sumere, & ille honorando, non aude ullum altem prætermittere; contemptum solum non quit cibus ipse. Idem, tract. 60. in Joann.

Peccata, si non tanta sunt, ut excommunicandus quisque videatur, non debet se a quotidiana medicina Dominici Corporis separare. Idem, ibid.

Quotidie Eucharistia Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominici cibus suadeo & hortor; si tamen mens sine voluntate peccandi sit. Auctor lib. de Eccl. dogm. qui tribuitur August.

Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest, sic vive, ut quotidie mercaris accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur potum annum accipere, ibidem.

Datum nobis est pignus, in quo sentimus ejus dulcedinem, & desideramus ipsum vite fontem, ubi sobria ebrietate inundamur. Talis ebrietas non everit mentem, sed rapit sursum, & oblivionem præstat omnium terrenorum. August. l. de Agone Christi.

Dominus Angelorum factus est homo, ut panem Angelorum manducaret homo. Idem, Serm. 13. de semp. Houdry Bibl. Tom. I.

Illud libere, quid est nisi vivere? manduca vitam, bibe vitam. Idem, Hom. de verbis Dom.

Cum cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neque stiant; hoc vero non præstat nisi ille cibus & potus, qui eos a quibus sumitur, incorruptibiles facit, & immortales. Idem, tract. 26. in Joann.

Cibus sum grandiorum: cresce & manducabis me: nec tu me mutabis, sicut cibum carnis, in te, sed tu mutaberis in me. Idem, l. 7. Conf.

In Christi Corpore vita nostra consistit: mutet ergo vitam qui vult accipere vitam; si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam. Idem, Serm. de temp.

Panis iste famem interioris hominis requirit. Idem.

Calix tuus inebrians quam præclarus est? Hoc calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Idem, in Pl. 35.

Sacramento Corporis Domini subjugatus est mundus. Aug. ad Januarium.

Si quoties effunditur Sanguis, in remissionem peccatorum funditur, deo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper deo habere medicinam. Ambr. de Sacram.

Hic Sanguis anime nobilitatem non sinit languescere, hic Sanguis fecit ut imago in nobis regni florcat. Chryl. Hom. 45. in Joannem.

Tanquam Leonis ignem spirantes ab hac mensa recedamus, diabolo facti terribiles. Idem, Hom. 61. ad Popul. Antioch.

Dum huic non unum, efficitur unum Christi corpus, & una caro, Idem, Hom. 83. in Matth.

Non minus detestabile est in eis pollutum quam in sterquilinum mittere Dei Filium. Idem.

Non est audacia sepe accedere, sed indigne vel semel. Idem.

Quemadmodum frigida accessio periculosa est; ita nulla mystice hujus carne participatio. Idem, Hom. 24. super 1. ad Corinth.

Spem nobis de futuris præbet, quippe qui nobis hic seipsum tradidit, multo magis id faciet in futuro. Idem, Hom. 6. ad Popul. Antioch.

Quis Paster oves proprio pascit crore? ... ipse autem nos proprio pascit sanguine. Et per omnia nos sibi cogitavit. Idem, Hom. 83. in Matth.

Parentes, filios sepe altis stradunt alendos. Ego autem, ait Christus, non ita; sed caribus meis alo, & meipsum vobis appono. Idem, Hom. 61. ad Popul. Antioch.

Unicuique fidelium se Christus per mysterium commicet. Idem, 83. in Matth.

Unum corpus efficiamur, membra ex carne ejus, & ex ossibus ejus; ut autem non tantum charitate hoc faciamus, verum etiam ipsa re, in illam commiscuam carnem, hoc per estam efficitur, quam nobis largitus est. Idem, Hom. 61. ad Popul. Antioch.

O spirituali igne repletum. Ita vocat os sumentis Eucharistiam. Idem, Hom. 83. in Matth.

Nemo nauseans accedat, nemo remissus; sed excitati, incensi, ac ferventes omnes accedant. Idem in Matth.

Non aliud agit participatio Corporis & Sanguinis Christi, quam ut ad id quod sumimus transcamus. S. Leo de Pass. Dom.

Cibus ejus ipse sum, Christus Dominus cum pascit, pascitur. Bernard.

Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Idem, Serm. in Cœna Dom.

Spirituali iustio ... si ejus sacratissima inseramur vite, consortes Dei; divinorumque participes reddamur. Dionys. in Eccl. Hierarch.

Accedere indigne horrendum judicium; non accedere ex notabili negligentia, vel contemptu, damnabile est. Sanctus Bonaventura de Preparat. ad Miss. c. 4.

Treteret adversarius, dum videt Christiani labia Christi crore rubentia; agnoscit enim præsto esse sua perditiois indicium, & divine victorie, qua captivatus & obtutus est, non tolerat instrumentum. Petrus Damiani, opusc. de inflit. monast.

Notissimum future felicitatis indicium, ac divine miserationis prælagium certum. Laur. Justin. Serm. de Euchar.

Totes homo Angelorum manducat panem, quoties



ties Corporis & Sanguinis Christi percipi sacramentum: nam quantumvis non eodem modo quo illi, eundem tamen manducant cibum. Idem, ib.

Spirituali dulcedo tanquam in proprio fonte gustatur. D. Thomas opusc. 57.

Si in mortali cibo tanta vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet, viresque restituat; Idem sentiendum de hoc immortali cibo, in quo vita etiam praestatur. Paschal. I. de Corpor. & Sang. Christi.

Concorporati & consanguinei Christi facti estis, Cyrilli. Jerof. Serin. Catech.

Anabile futurae iucunditatis praesidium. Math. Wormatiensis.

Antidotum, quo a peccatis mortalibus preservamur. Conc. Trid. sess. 13. c. 2.

Panem vitae aeternae, & calicem salutis perpetuae. Canon Missae.

Incessum abstinentiam altari, si nullus est, qui communicet: si non es hostia dignus, nec oratione. Chryl. in Epist. ad Timoth. Hom. 5.

Hoc est quod universa perturbation, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore, consistere meriti putat. Idem, ibid.

Et nos ille possideat, & nos illum possideamus. Aug. tract. 2. in Joann.

Quomodo non exaltet anima, qua se sentit, dignam efficiam divini Verbi Praesentiae? Laurent. Justin. I. de Cast. Con. c. 22.

Cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris. Chryl. Hom. 60. ad Popul. Antioch.

Per cibum istum sacratissimum in suam nos Christus tradidit naturam, Deiformeque nos reddidit. Dionys. de Coelesti Hierarch.

Ipsae convivia & convivium, ipse comedens & qui comeditur. Hier. Epist. 150. ad Hedib.

Quamvis hanc carnem, non est amicus carnis suae. Greg. Nyssen.

PARAGRAPHUS V.

Quid erui ex Theologia ad hoc argumentum possit.

Quid communicatio, & communio.

A Dorabilis filii Dei corporis receptio in Eucharistia vulgo communionis nomine exprimitur, quod ex illis Apostoli verbis desumptum est. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 1. ad Corinth. 10. Hoc enim Sacramentum. S. Joanne Damasceno teste, non solum nos JESU CHRISTO coniungit, noque carnis, & divinitatis suae participes facit, verum etiam nosmet invicem in eodem JESU CHRISTO coniungit, atque sibi, ut ita dicam, incorporat ut nos omnes cum illo unum corpus efficiat. Itaque communicare est recipere Corpus, & Sanguinem Dei, qui factus est homo, & qui se nobis arce conjugere cupiens, nobisque amorem suum testatur, panis, & vini speciebus occultatur, ut ita se nobis tradat in cibum.

Dominici corporis recipiendi necessitas, praecipue tantummodo est in Adultis etiam, qui baptizati sunt, ubi illud recipere possint, quamobrem Sanctus Thomas quest. 73. art. 3. concludit, usum, & actualem receptionem Eucharistici panis, si in seipso spectetur, non esse de necessitate salutis; seu quod qui actu illum recipere nequit, potest habere gratiam, & salutem per sanctum desiderium recipiendi hoc Sacramentum, quemadmodum Cathamenus salutem obtinere potest per baptismum fluminis, atque amoris; seu denique quod ad salutem indispensandam satis est participes esse unitatis Ecclesiae, vel mystici Corporis JESU CHRISTI per fidem, & charitatem.

Afirmari tamen potest, Eucharistiam efficacissimum, & maxime necessarium esse medium ex his, quae nobis Dei Filius reliquit, ut immortalitatis suae fieremus participes. Ut hoc nobis persuadeatur, scire sufficit, Salvatorem declarasse nobis in Discipulorum suorum persona, eos qui suam carnem, & sanguinem non manducaverint, biberintque, vitam aeternam affecturos non esse: Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Joan. 6. Hae exclusio adeo explicita est, ut de huius Sacramenti necessitate non liceat ambigere. Gratia immortalitatis magno huic Mystero inhaeret, & nemo ab eodem abesse potest, quin seipsum privet effectu, quem in accedentibus ad ipsum operatur.

Verum est, Baptismum vitam gratiae conferre,

Poenitentiam illis eandem reddere qui illius iudicium subire; sed verum quoque est, duo haec sacramenta virtutem suam a Corpore, & Sanguine JESU CHRISTI tanquam ex suo fonte recipere. Mors huius eorum verum exitum principium; sanguinis ejusdem effusio hanc a Deo obtinuit, nobisque promeruit gratiam: sed haec vita nobis ratione longe praesentium mortis ipsius communicatur. Baptismus huic vitae principium praebet, atque reparat Poenitentiam; sed Corporis, & Sanguinis JESU CHRISTI participatio eam fovet, nutrit, atque confirmat. Hac illi perfectionem imperit, & scimus ad hanc illam a quamplurimis, quibus patet, periculis preservari.

Cum dicitur Eucharistia gratiam communicare, non intelligendum est perinde ac necessarium minime sit, eum, qui vult digne communicare antea gratiam obtinuisse; sed hoc dicitur primo, quod prima videlicet gratia, sine qua nemo ad hoc Sacramentum debet accedere, ibi mirabile incrementum accipit; & quemadmodum corpus non conservatur solum cibo corporali, verum inde novum virtutum augmentum recipit; ita Eucharistia quoque, qui spiritualis est animae cibis, non venter solum vitam spiritualem, verum etiam novam virtutum tribuit accessionem. Secundo quod in hoc Sacramento auctor gratiae continetur, & quomodo JESUS CHRISTUS in Mundum veniens visibiliter venit per Communionem vitam gratiae operatur in nobis. Tertio, licet iuxta Theologorum omnium sententiam, hoc Sacramentum iustificatorem gratiam non tribuat in prima divini sui Institutoris intentione, propterea quod Sacramentum est vivorum, & in nobis vitam supponit; hanc tamen gratiam operatur in nobis iuxta eorundem Theologorum communem sententiam, ubi quis lethalis alicujus culpe reus, quem ignorat, bona fide, se in gratia putans esse attritionis actu elicio recipit Communionem.

Non satis fuit Salvatori, nobis per Communionem largiri vitam, eadem utitur etiam, ut nos contra inimicos nostros confirmet, languoribus, zgritudinibusque spiritualibus medeatur, animasque nostras quibusdam veluti gradibus ad charitatis perfectionem attollat. Namque ex D. Thomae sententia, cibis spiritualis in animae vita eisdem parit effectus, quos in corporis vita cibis corporeis, hic quidem recipit vires tuetur, & reparat, ille vero vires recit spirituales.

Animadvertendum est etiam praeter universalem gratiam, quae omnibus Sacramentis adheret, singula gratiam habere sibi propriam; per Baptismum primam gratiarum omnium recipimus; per Confirmationem illa roboratur in nobis, Poenitentia vulneribus nostris medetur; Extrema Unctio contra mortis impetum munit; sed per Eucharistiam de Deo alimur, vivimurque. Evadimus Filii Dei per Baptismum; per Confirmationem in fide inconcussi manemus: in Poenitentia per misericordiam Dei peccata nostra remittuntur: sed per Eucharistiam novam adhuc cum Deo unionem contrahimus.

Cum Patribus, atque Theologis duplex in JESU CHRISTO corpus distinguendum est; alterum naturale, mysticum alterum. Primum quidem in Virginitatis Deiparae sinu induit; alterum vero sibi ex omnibus fidelibus efformavit. Nos autem per dignam naturalem Corporis ejusdem ratione longe praestantiori, quam per alia sacramenta. Mysticum JESU CHRISTI corpus Ecclesia est, inquit S. Thomas, huius ille Caput est, & fideles omnes in statu gratiae sunt membra; & per Communionem illi incorporantur.

Prima, quae requiritur dispositio, ut digne Eucharistia Sacramentum recipiatur, est nosse discernimus illud, quod inter sacra hanc, profanasque mensas, inter coelestem hunc panem, & panem commune, vulgaremque interedit, cognoscere. Quod quidem fit, ubi creditur hoc verum Corpus, hic verus esse Domini sanguis, quem Angeli in Coelo venerantur: satis enim esse debet Mysteriorum huius altitudinem admirari, quin perquisitionibus nimium curiosus modo inquirat. Dispositio altera est, serio conscientiam nostram excutere, utrum aliqua lethalis culpa macula pollutus simus, ut ea Contritione, & Confessione eluatur. Statuit enim Tridentina Synodus, circa scelus non posse recipi Eucharistiam in peccato mortali, nisi per Confes-

Quo in facto intelligendū sit, ab Eucharistia gratiam communicari.

Propter Eucharistiae effectus in nobis non fitis.

Quomodo Filio Dei per Communionem coniungamur.

tionem antea fuerit expiatum, ubi copia sit Sacerdotis, cui confiteri possumus, licet etiam contritionis igne flagrare videamur. Tertio est, ad examen revocare, utrum pacem cum proximo habeamus, & simuletem aliquam & odium foveamus. Dei enim Filii praecipit, ut Altare relinquere abitu ad relatiendam gratiam, si cum aliquo nobis inimicitiam esse comperimus. Haec sunt dispositiones omnino necessariae; quin loquamur de alii corporis, animique dispositionibus, quae cultibet innotescent.

Sape communicare debemus 1. quia Dei Filius nos invitat. Nostrae infirmitates ad id minime obstaculo nobis sunt, dummodo nobis displiceant. Infirmitas etiam, coecos, & claudos ad hoc coeleste convivium invitat, ut ostendat, neminem inde repellit, eo quod perfectam Sanctitatem affectus non fuerit. 2. Sape communicare debemus, quia ad hoc hortatur Ecclesia unanimi Sanctorum Patrum consensu, qui ejusdem Interpretes sunt; eamque mentem primis afflavit Fidelibus, & donec filii sui sancti huic consuetudini adhererent, semper vere sancti fuerunt. 3. Sape communicare debemus, quia ad id nostra nos impellit utilitas, neque enim ea exprimi possunt bona, quae ex frequenti communionem percipiuntur.

Haec praeterpropter observanda sunt regulae hacin re. 1. Frequens Communio infrequenti per se est anteferenda. 2. Temeraria est, communionem frequentem absolute vituperare, post ea, quae hoc in argumento Sacrosancta Tridentina Synodus declaravit. 3. Communio esse debet plus, minusve frequens pro ratione nostrae necessitatis, dispositionis, cum qua ad illam accedimus, & fructuum, quos ex illa percipimus. 4. Dispositio ad digne communicandum absolute necessaria est, quam Tridentina Synodus exigit, qui quidem in integra lethali criminum confessione, in sincero eorumdem dolore, ac certo, constantique consilio iterum in eadem nunquam relabendi consistit. 5. Afirmare tamen eos, quibus haec una dispositio adest, posse, vel debere communicare singulis diebus, sententia est rationi, Patrum omnium mentis, prudentissimorumque conscientiarum Reclorum praxi contraria. 6. Qui data opera, atque de industria nullum veniale peccatum committunt, & qui ab hoc mundo necnon a se ipsis penitus avulsi sunt, hi nimis crebro communicare non possunt.

Quaerit Sanctus Thomas quest. 8. art. 20. utrum quoties liceat communicare, & statuit. 1. Si Sanctum hoc Sacramentum in eo, quod continet, consideratur, in virtute, & efficacia sua, nihil obesse, quominus quotidie sumatur? immo sumendum etiam esse, ut quotidie uberrimos fructus percipere valeamus; ideoque a S. Augustino quotidianus panis vocatur: 2. Illud, qui singulis diebus in statu invenitur Divinum hoc Sacramentum recipiendi, posse singulis diebus illud recipere; quapropter ait S. Augustinus, nobis vitam adeo sancte insituentiam esse, ut illud quotidie mereamur accipere. 3. Non esse omnibus utile quotidie communicare, sed illis tantum, qui se satis sancte dispositos norunt.

Hae est Sancti Thomae, & post hunc omnium Theologorum sententia, venialia peccata per Eucharistici Sacramenti virtutem remitti, ubi in gratia statu recipitur; iuxta Innocentii Papae doctrinam, afferentis praeterea, non eodem Sacramento a mortalibus imposterum praeservari per eam virtutem, quam elargitur nos in gratia servandi; quia Sanctus hic Doctor ait, quemadmodum corporeus cibis nos roborat, vitalesque spiritus, qui in singula momenta dissipantur, intereuntque, reparat; ita spiritualis divini huius Sacramenti esca, usum suo, spiritus vires reparat vel a concupiscentia, vel a venialibus peccatis attritas, & dissipatas. Quibus addi potest, quemadmodum venialibus culpis in nobis charitatis fervor minuitur; ut ille excutitur, atque ardentius inflammetur, refert crebro ad Eucharisticam mensam cum devotione, ac reverentia accedere; quia haec quotidiana est medicina contra quotidianas infirmitates, uti loquitur Sanctus Ambrosius.

Super ea, quae dicit JESUS CHRISTUS in Evangelio, quicumque manducaverit Corpus, & biberit Sanguinem ipsius, aeterna vita esse perfruitur, quaerunt cum S. Thomae Theologi, utrum aeterna vitae acquisitio sit communionis effectus; & affirmativa respondent; duo enim in Eucharistici Sacramento sunt consideranda. Primum illud Houdry E.B.L. Tom. I.

est, ex quo Sacramentum hoc suam virtutem, & efficaciam mutuatur, ipse nempe JESUS CHRISTUS, ejusque mors, quae per hoc Sacramentum repraesentatur: alterum est illud, per quod hoc Sacramentum suum consequitur effectum, usus videlicet ejusdem Sacramenti, quae Communio vocatur. Quoad primum, JESUS CHRISTUS per mortem, & passionem suam, teste Apostolo, nobis Coeli januam referavit, gloriae possessionem, & jus ad eandem contendendi acquisivit: quod alterum in hac etiam vita, licet imperfecte possidemus charitatis unitatem, quae, ut docet S. Augustinus, perfecte in futura gloriae vita possidebitur; unde sequitur gloriae acquisitionem effectum esse Eucharistici Sacramenti.

Quaerunt quoque nonnulli Theologi, utrum corpora nostra ex crebro Eucharistiae usu aliquam impressionem recipiant, per quam in se gemen immortalitatis obtineant. Afirmari profecto nequit, Sacramentum hoc corporibus qualitate aliquam communicare, quae per se illis vitam reddere valeat, ita enim eum in statum adducerentur, ut ante praesentium tempus resurgere possent; responderi tamen potest, quod cum per nexum, quem cum Salvatoris corpore habuerunt, consecrata fuerint, haec unio, & affinitas moraliter agit, hoc est Salvatorem sollicitat, ut Praedestinos resuscitet, qui in semetipsis habent quaedam veluti Eucharistiae pretiosas reliquias; cum e contra reprobi carere hoc sollicitatore resuscitationis vitae suae, eo quod per scelus, & nequissimae vitae flagitia consecrationem suam amiserunt, eadem ferme ratione, qua Templum nostrum pollutum, cum ibi quaedam peccata parantur.

Cum Dei Filius testatus fuerit, carnem suam vere cibum esse, & sanguinem suum vere potum, videtur ideam nostram ad ea transulisse, quae per corporum nostrorum alimentum accidit, hoc est, ut fiat cibis unum, & idem cum comedente, & in propria illius transeat substantiam, quod ipsum probari etiam videtur complurium Sanctorum Patrum, praeterea vero S. Chrylosomi, & Cyrilli Ierosolymitani loquendi rationibus. Sed Theologia, quae pressius, strictiusque res omnes ad examen appellat, docet divinum hunc cibum nequaquam esse sumendum, tanquam terrenam escam, quae corpora tuetur, & auget sese in illa immutat, atque in illarum substantiam convertens. Haec caro sacra non fit unum, & idem, hoc est natura, vel substantia eadem cum carne nostra; alioquin omnes personae per communionem cum Verbo-stemus conjuncti: quae sententia olim nonnullis devotis animabus arrisit, eisque par vita est, ut inde solatium uberrimum percipere possent; sed quae a Scholis rejecta fuit, utpote quia plurime inde hauriri possunt illusiones non satis aequae, & palam is adverterant, quae sunt de hoc mysterio credenda. Hic homo Deus recipitur quidem, & continetur in corpore nostro, sed ut fiat cibis animae nostrae non autem corporis huius materialis, ac rudis. Verum tamen haec non est simplex praesentia localis, sed aliquid amplius, & omnes Sancti Patres ajunt, adorabile corpus nostris conjungi non is tantum momenti, quibus realiter in nobis est, verum etiam postquam sub speciebus esse desit; & cum afferant, unionem hanc non moralem simpliciter esse, arduum est eandem explicare, nisi dixerimus illam prorsus peculiarem esse; videlicet, in se quidem moralem esse, sed inniti reali, & naturali, quae eandem praesentit.

Primum Eucharistia semper gignit in animabus bene dispositis novum aliquem gratiae sanctificationis gradum, efficacique, ut Fidei, Spei, & Charitatis habitus augeantur. 2. Perficit Spiritus Sancti dona. 3. Auctus virtutes morales, & insulas Prudentiam, Fortitudinem, Temperantiam, Iustitiam. 4. Gratias actualibus excitat ad virtutum omnium actu efficiendum. 5. Adfert dulcedinem, unionem, & gaudium, quo saepe anima nostra perfruitur.

Eucharistiae fructus iidem praeterpropter sunt ac ejusdem effectus, & ad quatuor redigi possunt. Primus est gratiae sanctificationis, insularumque virtutum augmentum. Altera est fervoris instauratio, venialiumque peccatorum remissio. Tertius haec suavitas, quam gustandam nobis exhibet Deus gratias actualibus, quae Christianarum virtutum praxim faciliorem efficiunt. Quartus consistit in ea ope, quam Sacramenti huius virtute nobis tribuit Salvator ad animae vitam tuendam, superandos hostes, & quotidie in spirituali vita progrediendum.

De voce, quam J. C. corpus habet, propter communionem.

Eucharistiae fructus.



Salvator ex quorundam Theologorum sententia, in singula eius temporis, quo realiter praesens est in cordibus nostris, momenta eas omnes gratias adauget, quas per hoc Sacramentum nobis imperit, prout anima eodem saginata primas dispositiones suas perficit, solis insitit semper incrementis, ac in singula momenta vividiores, fulgidioresque radios circumquaque effundentis: Sed hic Sol est Iustitia suam largitatem ampliores efficiens, prout eadem anima se digniore ostendit, eandemque ardentiori charitate meretur.

Nemo ignorat quam grave crimen sit communicio Sacriliga; verum non omnes attendunt, quot bonis sese privent per Communione tepidam sine devotione, & cum spiritu dissipatione peractam. Hoc tamen nos docet D. Thomas in Commentariis suis in Epistolas S. Pauli, ubi postquam tradidit plures esse indignas Communione species, alteram facit eam, quae sine devotione pericitur. Hic quidem devotionis defectus, S. hic Doctor ait, nonnumquam veniale tantum peccatum est, veluti cum ad communionem accedimus cum spiritu distracto ac secularibus negotiis implicito, licet habitualiter ea reverentia fervetur, quae Sacramentum hoc deest. Tunc profecto non efficiuntur rei Corporis, & sanguinis JESU CHRISTI eo modo, quo S. Paulus intelligit; sed praecipuis Eucharistiae fructibus fraudamur; & affirmare possumus, hanc ex praecipuis rationibus unam esse, quae prohibent, ne animae in spiritali vita progrediantur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aestheticis, recentioribusque Concionatoribus lecti in hoc argumento.

Quo consilio de Dei filio ad illud exemplum totne miracula fuisse operatus, communemque naturae leges immutasset, panis, & vini substantiam destruens, suum corpus, sanguinem, Animam, Divinitatem in adeo exiguo spatio coarctans, & sub adeo humili, obfuroque tegamento omnem suae majestatis tugorem involvens? Si per hoc Sacramentum voluisset tantummodo sanctificantem gratiam producere, opus ne erat, ut in hoc personaliter interesset? nonne illam conferre poterat per offam panis in Eucharistia, quemadmodum per aquam in Baptismate contigit? At quodnam est magnum istud consilium, quo Sacramentum hoc super cetera extollitur, ejusque peculiarem characterem constituit? Nemo melius hac de re nos edocere potest, quam qui ejusdem est auctor. Ille porro ita loquitur. Jo: 6. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Animadvertendum est cum S. Chryostomo, Salvatorem quotiescumque loquitur de Eucharistia, semper se nobis vitam largiturum recipere. Quorum istud? nisi ut intelligamus, hunc proprium illius effectum esse? Sed cuiusmodi vitam? Ambigi non potest, S. Anselmus ait, quominus coelestem hunc cibum fumentes animae potius quam corporis vitam quaeramus. Sed animae rationalis vita charitas est, ideoque vita, quam nobis communicare vult Deus, vita divina est, & vita charitatis. P. Vaubert tract. de communione 1. pag. 2.

Domine mi tu vere Pater meus es, quoniam in hoc mysterio vitam, & vitam prorsus divinam imperit: Es quidem in Caelo sedens ad dexteram patris tui in gloria solio; sed pro summa bonitate! plures quotidie in terris dignaris descendere, ut visites filios tuos, eosque gratis, & beneficiis cumulés vel potius tanta illis dilectione prosequeris, ut aeternum vivere velis inter illos, illis vitam collaturus, & servaturus. Cur ergo mihi non est cor filii erga te, filii obsequiosissimi, amantissimi? Ullone Pater extitit unquam, qui tecum valeat comparari? Sanguinis tui effusione vitam mihi tribuisti? Quam autem vitam? Vitam sanctam, immortalem, divinam, & admirabilem hanc vitam tuendam, mihi tuum Corpus manducandum, sanguinemque bibendum tradis: ullus ne pater est, qui aliquid simile praestiterit? Non desuerunt quidem parentes, ut filiorum suorum carne velicerentur: at ulli ne fuerunt adeo suorum filiorum amantes, ut illos propriis carnibus enutrent? Matres quidem lacte suo filios alunt; sed saepe hoc

ipsum renunt; & lac levissima est pars carnis substantiae. Tu unus, o parentum omnium maxime amabilis, tuum Corpus, Sanguinem, Animam, Divinitatem, & quidquid es impendis, ut nos totae vitae nostrae tempore enutrias. Idem 4. p. colloquio altero cum Domino usquo.

Nequeo, Domine mi, eum dolorem exprimere, quo afficior, ubi cogito me met toties indignum tanta hac largitate praebuisse. Quoties a te recessi nequior, & ingrator filio prodigo. Sed si hunc errans sequutus sum, ejusdem exemplum imitatus ad te revertor plurimo rubore suffusus, & spero futurum, ut a te eadem benevolentia recipiar, qua illum Pater suus est amplexus. Verius, quam ille, dicere possem, me indignum esse, qui in filiorum tuorum albo recensear: sed novi cor tuum, & postquam voluisti, me Angelorum mensae accumbere, sperare audeo futurum, ut me adhuc tamquam tuum filium respicias. Idem.

Cur Salvator omnem panem, vinique substantiam destruit, quin se cum eadem commisceat? Ut videlicet intelligamus post Communione in nobis destruemum esse quidquid ibi terrenum est, omnia carnis, & sanguinis fluida esse evellenda. Cur panis, vinique species conservat? Ut liquet, nos adhuc posse communibus humanae vitae officiis fungari, agere, loqui, bibere, manducare, negotiis nostris vacare. Verum quemadmodum hac accidentia non amplius pane fulciuntur; ita non amplius natura, vel humana ratio, sed gratia esse debet naturalium actionum nostrarum anima, atque principium. Cur his accedentibus involutus est, quin tamen illis adhaeret, ut olim naturalis eorum substantia? ut sciamus, donec temporalibus negotiis, & vitae hujus bonis distinemur, illis animo inhzendum non esse, sed ab illis, & corde & affectu omnino esse secundendum. Hac denique accidentia, quae creaturam rerum impressionem recipiunt, quae dividi, franq̄ue possunt, quin Salvatoris corpus immutetur, docent, cum homines, varique vitae hujus eventus negotiorum nostrorum faciem immutant, nobis officium, vel saltem quin intrinsecus agitur, atque turbemur. Fidelis, qui ita esset affectus, o quam perfecte mortuus esset illis omnibus, quae sensibilia sunt, & quam perfecte divinum hoc exemplar imitaretur. Idem p. 4.

Pueri comedendo adolescunt, & prout adolescunt in vita suae ratione major prudentia elucescit. JESUS CHRISTUS adeo frequenter nobis suum corpus sanguinemque tribuens, ut animam nostram enutriet, petit, ut in virtute crescamus, atque in moribus nostris plis sanctitatis effluat; cumque illius expeditionis fati non facinus, gravissimum illi injuriam inferimus. Perpendite omnia ea admirabilia, quae in hoc Sacramento operatur; ob oculos vestros statuite divinae potentiae miracula, & largitatis ejusdem excessum. Putatis vos impune eundem frustrari posse eo sine, quem tot, tamque insignia suae erga vos charitatis praebens testimonia sibi proposuit? Fidelis autem, saepe ad sanctum hoc convivium accedens, quin sanctior fiat, JESUM CHRISTUM personaliter laedit ea in parte, ubi maxime afficitur; locum praebet ambigendi de mirabilibus effectibus, quae illi tribuuntur: mundi sectatoribus speciosum suppeditat praetextum ab altare recedendi, atque tepidis, & devotione carentibus anam tribuit dicendi, inutilis esse adeo frequenter ad sacram Communione accedere, quandoquidem nemo inde melior evadit. Totis artibus contemisco, ubi audio S. Basilium explicitis verbis dicentem, non tantum indignae, sed otiose, & inutiliter communicantem iudicium, & damnationem suam manducare. Idem part. 3. c. 4. art. 6.

Quamvis etiam Salvator decreverit per Eucharistiae Sacramentum nos ad summum perfectionis apicem evehere; attamen existimandum non est hoc diei unius opus futurum, atque unius tantum Communione virtute illuc pertingere posse. In ordine gratiae eadem praepropter ratione agit, quo in ordine naturae. Pueri paulatim tantummodo crescunt, ac saepe cibum sumendo; ita in virtutibus non progrediuntur animae, nisi saepius lesli hoc pane vescantur. Vita spiritalis, non secus ac naturalis, suas, ut ita dicam, etates habet, & Salvator suas gratias eo statim adaptat, in quo morales eas recipientes invenit. Lac est infantium, aegrotum medicina, perfectarumque ani-

Quid nos Dei Filius edocet, quae status, in quo possumus esse hoc in Sacramento.

Preparatio ad communionem.

marum solidus cibus. Verum in quocumque statu sumus, plerumque non nisi per gradus, sanctaeque Communiones eminentem sanctitatem nobis communicat. Idem 1. part. cap. 7. art. 1.

Cum dicimus, ex Communione fructum esse percipiendum, proficiendumque, perperam pavida quaedam anima conturbatur, trepidant, at nonnumquam etiam a sancta hac abstinent mensa, eo quod in vita suae ratione nullam fatis insignem mutationem deprehendant. Dummodo hujusmodi perfonae semper foveant desiderium sese penitus Deo devovendi, illum rarius offendant, vis affectum suorum decrefcat, diligentius peccandi occasionem evitent, ac studiosius officiis suis persurgantur: nequaquam inutiles sunt earum communiones, ac imprudens esset, harum numerum imminuere. Idem sermo accidit, ac illis, qui in nave continentur, & mari iter insitunt; qui saepe magnam viam partem emittuntur, quia ne intelligant quidem. Idem 2. p. c. 4. art. 7.

Si semel tantum in vita nobis ad factam Sinaxim esset accedendum, omnia vita nostra momenta impendenda essent diligenter, ut eidem nosmet prepararemus; & quascumque curas ad id adhiberemus, quocumque conatus exereremus, nihil tamen nimis praestaremus, & vere cum humili Ceneratione dicere possemus: Domine non sum dignus. Matth. 8. Hac sola cogitatio, quotidie communicare debeat, nos continere debet in jugi timore, ac reverentia, in perenni attentione ad ea, quae Dei sunt, & summa vigilantia erga omnes cordis nostri motus, ne quid elaberetur nobis inivitis oppositum puritati, quae ad Deum, qui eadem puritas est, recipiendum necessario requiritur. Verum cum ille nobis gratiam largiri dignetur sapius communicandi, & per infirmitatem nostram, vel negotiorum nostrorum impedimentum minime liceat nobis omne tempus ad magnam hanc actionem transmittere; saltem oportet, ut quod plurimum faciunt, preparationem nostram minime redigamus ad modicum illud temporis momentum, quod immediate Communione praecedit, sed ut saltem pridie ejus diei, quo sumus communicaturi, tanto huc Sacramento nosmet preparamus. P. Nepveu in Christianis Considerationibus Tomo 4.

Sanctitas, & Majestas illius, quam in Communione recipimus; magni fines illi, propter quos ille in nos venit, magna, quae ad eos adimplendos operatur, miracula; nostra denique humilitas, atque infirmitas, suadent, ut nihil intentatum relinquamus, nosmet digne ad illius perceptionem preparaturi. Si Eucharistiae Sacramentum Sacramentorum omnium sanctissimum, atque augustissimum est, Communio, per quam ejusdem participes sumus, maxima profecto est, atque utilissima vita nostrae operatio. Quod si tantum temporis minime impendimus, ut nosmet Communione prepararem, quantum illius, qui recipitur, dignitas peteret; fervore, saltem supplere debemus ei, quae desideratur, diuturnitati, & tepida festinatione in iis, quae pro vitili possumus, peragendis, magnis supplere apparatus, quos magnitudo ad nos accedentis excoleret. Ubi omnes animae totos vires, omnem mentis curam, omnemque cordis affectionem exererimus, ut nos digne ad adeo sanctam actionem prepararem, ad hanc tamen divina mysteria nisi summa cum verecundia deberemus accedere, nostrae indignitatis certissimi. Hos sensus alere ite etiam qui majori sanctitatis laude floruerunt: quos autem nos concipere aequum est? quae debet esse verecundia nostra, quis pavor, cum ad hac terribilia mysteria dissipato spiritu, sensibus errantibus, ac diviso corde accederemus? &c. Idem Tomo 2. earumdem Considerationum.

De modis praeparationis, quae vulgo adhibetur.

Ratio qua fidelium plerique communicant, nonne bonorum omnium lacrymas debet elicere? Putant fati esse, peccata sua fuisse confessos, sine examine, ac sine vero dolore: de Confessarii pedibus ad aram advolant non alia ducti ratione, nisi ut quam celeriter eo perfungantur munere, quod illorum mentem, ac spiritum torquet, ita ut, ubi vitae panem recepturi erant, ibi, ut Sanctus Cyprianus ait, praecipitate communicationis Christi venenum recipiant. Neque profecto in eorum errorum abundum est, qui falso zelo ducti tantum preparationis requirunt, quantum novo fere praeparate potest, & nimia severitate Fideles ad Eucharistica mensa divellunt; verum diligentissime ca-

In virtute non crederemur repente, neque quae unius communio, aia vi.

vendum est etiam, ne fati levi praeparatione contenti parum caute accedamus ad hoc convivium, quod Dei Filius tanta magnificentia nobis extruxit. Auctor Anonymus.

D. Thomas hunc Eucharistiae in nobis effectum explicat similitudine, quam ex germine sylvestri arbori insito mutatur. Hoc proprium est, inquit ille, germinis ex arbore felici revulsi, ubi sylvestri inferatur, eidem amaritudinem omnem auferre, & efficere, ut bonos, similesque suis afferat fructus; ita pariter JESU CHRISTI corpus cum sit quodammodo nobis insitum, defectus corrigat nostros, suamque nobis bonitatem, & virtutem communicat producendi frondes, flores, fructusque justitiae, illis similes, qui ab ipso feruntur. P. Vaubert 1. part. cap. 2. art. 7.

Salvator per Communione nos sibi similes efficit; quod S. Thomas Opusculo 58. cap. 20. figillim similitudine explicat, quod ceris molli applicatum, ubi suam imprimit figuram. Cum Communione recipimus, Sanctus hic Doctor ait, JESUS CHRISTUS applicat Corpus suum tanquam anulolum cordibus nostris amore divino flagrantibus, Poenitentia expiatis, & proximi amore mollioribus effectis; non ut mutetur in nos, ipse enim est immutabilis, sed ut nos in seipsum transformet, animabus nostris suae bonitatis, & suarum perfectionum imaginem imprimens. Cum Cantionum Sponsus Sponsam invitat, ut ipsum statuat tanquam signaculum super cor suum, & super brachia sua, Dei Filius, iuxta insignis cuiusdam vitae spiritalis Magistri explanationem, nos ad Communione hortatur, ut suam in animabus nostris imaginem imprimat; & hac impressione ipse, qui figura est substantiae Patris sui, ibi delineat imaginem Dei, quam peccatum deleverat, eique pulchritudinem prorsus divinam communicat. Idem p. 1. c. 2. art. 4.

Idem S. Thomas loquitur de voluptatibus, quibus nonnumquam Deus fideles nosmet perfundit; atque tunc, inquit ille, JESUS CHRISTUS efficit, ut illa experimental cognitione suam praesentiam intelligant. Non gratiae tantum suavitatis, sed ipsa Divinitatis cum Salvatoris Humanitate conjunctae dulcedo gustatur: non per fidem simpliciter cognoscit anima se a Deo possidere: sed illam sentit, ut ita dicam: illum spiritaliter attingit, atque complectitur. Brevia sunt haec momenta, Sanctus Bernardus ait, sed suavissima: Felix hora, sed brevis mora: hoc est, alius Pater ait, futurae felicitatis amabile praedium. Idem prima parte capite tertio.

Notandum quoque est has spirituales delicias esse veluti proprietatem aliquam communione inherentem: Deus enim, ait insignis, & sapiens Cardinalis, in hoc Sacramento concludens vivam omnium coelestium consolationum originem, non voluit solum nobis sanctificantem gratiam conferre, verum etiam in cordibus nostris maximos devotionis sensus excitare, ita ut licet anima bene disposita non aliud gratiae incrementum perciperet, suavitissimi tamen hujus cibi jucunditate perfunderetur. At enim quamplurimi communicant, quin ullam suavitatem percipiant. Verum nonne magnum est laetitia argumentum, si reliquae omnes deessent, cogitare, quod anima fidelis communicans, thesaurum recipit, in quo omnes caeli divitiae continentur: quod recipit verum animum Medicum, qui omnibus infirmitatibus nostris medetur; hac sane una cogitatio, quin aliud perpendatur, nonne summa laetitia perfunderi debet animam, cui haec veritates probatae sunt? Praeterquamquod accidit etiam, quod Communio in anima sensibiles delicias effundat, cum efficit Salvator, ut gratiae dulcedo gustetur. Tunc enim temporis anima suavissimo hoc gustu illecta, & coelesti hoc balsamo delibuta sanctis ardoribus divinae charitatis accenditur. Domini laudes concinit, illius servitio sese devotum, in dulcissima erumpit suspiria, devotio liquefcit, & in latissima conversatione inexplicabili felicitate perfuitur. Idem 1. part. c. 3. art. 5.

Dei Filius per communionem ubi nos immiles efficit.

Deliciae quae bonae Communioni quodammodo inhaerent.